

propter quem Ecclesia ritum exercet, est sanctificatio suscipiens, characteris impressio, delictio peccati originalis: & hunc intentionis modum, seu finem illum intentionis, non esse in Ministro necessarium, plus satis in superioribus demonstravimus. Primum illud, nempe facere quod facit Ecclesia, ad intentionem vere pertinet: istud alterum, nempe facere eo fine, quo facit Ecclesia, pertinet ad rectitudinem intentionis, ut Sacramentum pie, ac religiose ministraret, non ut valide conferatur. Audiant Doctorem Angelicum, totum id angelice explicantem in 4. Sent. dist. 6. quest. 1. artic. 2. quaestio 2. ad primum. *Quaeritur ad Sacramentum requiritur intentio faciendi, quod facit Ecclesia, non tamen requiritur quasi de necessitate Sacramenti existens, facere quod facit Ecclesia, propter hoc, quod Ecclesia facit: & in hoc consistit rectitudo intentionis. Quid apertius, quid nitidius, ad nostrae sententiae confirmationem?*

II. Pari laborat aequivoco, quod verbis aliquantum immoderatis eidem obijciunt. In Ministro desideratur intentio faciendi quod facit Ecclesia: sed Ecclesia E. G. baptizando, justificat hominem, delet originale peccatum, imprimit characterem; igitur & haec omnia debet Minister intendere, ut sit ritum, & validum Sacramentum. Duo quippe distinguenda veniunt: quod per se se, & immediate facit Ecclesia; ritus nimirum externus, in certa materia, formaque ministratus; & quod per hujusmodi ritum, seu mediante ritu eadem facit Ecclesia, justificatio scilicet peccatoris, caeteraque in argumento recensita. Ac primum quidem debet Minister intendere, intenditque re ipsa, dum serio, libereque ministrat; non item alterum, quod non ad ipsam pertinet intentionem, sed ad rectitudinem intentionis, ut loquitur D. Thomas loco laudato.

III. Ita nos in editione prima. Infurgit modo contra responsum hoc nostrum domesticus impugnator. Quod facit, inquit, Ecclesia, quodque Minister debet intendere, ex iudicio Concilii Tridentini, non est ritus certa materia formaque simpliciter constans, seu ritus praecise, nude ac materialiter tantum spectatus; sed ritus ut a Christo Domino institutus, ut in Christiana Ecclesia facer, ut a caeremonia profana distinctus: At Minister serio tantum libereque fornicatus ritum Sacramentalem exercens, non eum exercet nisi praecise in se se nude ac materialiter spectatum; non ut a Christo Domino institutum, non ut in Christiana Ecclesia sacram, non ut a profana caeremonia diversum; maxime dum secretam gerit in animo intentionem, totum quod agit exterius irritandi: Non habet igitur intentionem a Concilio Tridentino postulatam, ut sit ritum ac validum Sacramentum.

Data Majori, in qua nonnihil dubii posset esse, ad Minorem respondeo, Ministrum quidem a nemine postulatam ac requisitam, sed sponte sua clanculum ac secreto, atque ut vulgo dicitur, extra debitas circumstantias Sacramentalem ritum agentem, eundem praecise in se se nude ac materialiter spectatum exercere: non ita tamen dum ritum in debitis circumstantiis exercet, ac publice. Tunc enim, si minus expresse atque distincte, ac saltem virtualiter & implicite ritum intendit, ut Sacramentalem, & a Christo Domino institutum: cum iis in circumstantiis talis re ipsa sit necessario & essentialiter. Quis autem nesciat, hac in specie sufficere virtutalem, & implicitam intentionem?

IV. Alteram in nos, ex eisdem Concilii Tridentini auctoritate, impressionem faciunt Theo-

logi recentiores. Concilium Sess. 14. de Sacramento Penitentiae, ad validam absolutionem conferendam desiderat, ut Sacerdoti non desit animus serio agendi, & serio absolvendi: itaque ultra seriam actionem, seu seriam administrationem Sacramenti, veram etiam absolutionis collationem in Sacerdote requirit: at vera absolutionis collatio, ut condistincta a seria actione, seu a seria administratione Sacramenti, intentionem internam dicit; quemadmodum seria Sacramenti administratio externam intentionem importat: igitur sacra Synodus utramque ad Sacramenti valorem desiderat intentionem. Maxime vero, cum non modo seriam actionem, veramque absolutionem desideret sacra Synodus in Ministro, sed etiam animus se agendi, absolvendique: qua loquendi formula internam denotat intentionem, a sacra Synodo desideratam. Ea enim ex animo facere dicimus, quae interna sinceraque mente, & intentione praestamus.

Respondeo: de mente Concilii Tridentini Lutheram damnantis nos melius iudicare non posse, quam ex errore Lutheri damnati. Quandoquidem Concilium Tridentinum, nomine verae absolutio- nis, quam ultra seriam Sacramenti administrationem in Sacerdote desiderat, ut vere sit penitens absolutus, nihil aliud intelligit, nisi rectam plenamque formae absolutionis prolationem; ita scilicet ut Sacramentum non modo serio ministraret, verum etiam plene, ac integre perficeretur: quorum si desit alterutrum, non sit penitens absolutus: quamquam ille absolutum se esse certissime credat: quod sulte Lutherus deliraverat. Ille enim absolutionem a Sacerdote joco dicitam non solum valiturum aiebat, modo se absolutum penitens certo crederet; (ut ex ejus articulis a Leone X. damnatis antea vidimus) verum etiam verba ipsa a Domino, aut ab Ecclesia praescripta, salvo Sacramento mutari posse contendebat. Imo eo progressus est impudentia *lib. de Captivitate Babylonica cap. de Baptismo*, ut valiturum Baptismum diceret, si in nomine hominis ab improbo Ministro conferretur, modo in nomine Domini ab adulto susciperetur. Sic enim scribit loco laudato: *Si quis, non in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizaret, sed in nomine puri hominis, modo baptizatus in nomine Sanctissimae Trinitatis Sacramentum susciperet, esset validus baptizatus.* Quos omnes errores ut confingeret sacra Synodus Tridentina, seriam Ministrorum actionem esse voluit, simulque veram, plenam, & integram absolutionis formae prolationem faciendam edixit, ut suum Sacramentum fortitatur effectum. Quare subsumpta argumenti propositio negatur omnino. Vera enim absolutionis collatio, de qua loquitur Synodus, seria Ministri actioni conjuncta, ac superaddita, intentio interna non est, de qua praesens est disputatio; sed plena, & integra absolutionis formae prolatio; quae etiam sine interna, secretaque absolvendi intentione stare potest. Uno verbo dicam, desideratur in Sacerdote animus serio absolvendi: hoc est, animus vere proferendi absolutionis verba; non securiliter & jocosae; quod Lutherus sufficere contendebat, modo se penitens crederet absolutum.

Futilius est longe multo, quod ad objectionis cumulum additur. Animus enim ille serio agendi, vereque absolvendi, quem postulat sacra Synodus, non occultus, interiorque ille est, de quo quaeritur in praesentia, sed externus duntaxat, hoc est, seria fornicus administratione, plenaeque & integra absolutionis prolatione expressus, & manifestus, quem scilicet penitens observare facile possit; quique si forte desit, Penitens Sa-

cerdotem jocosae absolvere, & non serio agere deprehendat, ut loquitur sacra Synodus.

V. Sed iniquum adversae partis Actores: Concilium Tridentinum praecipit intentionem faciendi quod facit Ecclesia, tanquam aliquid distinctum ab applicatione materiae, & formae: quandoquidem post imperatam hujusmodi applicationem, intentionem habendam subinde praescribit, ut quidpiam ab illa diversum. At intentio peragendi ritum illum externum, non est quid distinctum ab applicatione materiae, & formae; aut certe si quid ab ea distinctum est, ita tamen illi indivulso cohaeret, ut plane inutile sit, istam de novo exigere, dum illa semel iuncta fuit: si quidem implicat quempiam ritum externum peragere, materiamque, & formam applicare, nisi applicare intendat.

En ultimum partis adversae conatum, sed penitus irritum. Intentio enim peragendi ritum externum, ab ipso externo ritu, seu ab applicatione materiae & formae distinguitur: est enim interior, & deliberatus voluntatis actus, ritum Ecclesiae celebrandi. Jam quod additur in argumento, intentio saltem peragendi ritum externum inseparabilis est ab applicatione materiae, & formae, distinguendum est: est inseparabilis ab applicatione seria, & libera, verum est; ab applicatione qualicumque etiam mimica, & joculari, falsum est. Quare non frustra praeter externi ritus administrationem, seu applicationem materiae, & formae, praecipitur a Concilio Tridentino intentio adhibenda: ut videlicet ritus ille non quomodolibet, sed libere, serio, omnique semoto joco peragatur. Hancque veram esse sacra Synodi mentem, dum intentionem necessariam definit, inde maxime liquet, quod Lutheri Error, quem damnandum sibi sumpsit sacra Synodus, quemque antea damnaverat Leo X. in eo positus esset, quod Sacramentum joco datum validum esset. Quare eam duntaxat intentionem necessariam in Ministro definit sacra Synodus, quae jocum excluderet, aut fictivam externo aliquo signo prodeuntem.

Novit id, ingenueque fassus est Cardinalis Palavicinus, sacra Synodi interpres, atque Historicus *Lib. 9. Cap. 6. Sententia Tridentini praescripta eadem est quam Leo X. per suam Constitutionem in Lutero damnavit: videlicet ita fuisse a Christo institutum Sacramentum, ut etiamsi Minister per mansuetam irrisivum ac ludibrium illud peragat, effectum consequatur.*

Quidni quoque dicamus, ad eum partis adversae conatum facilis superandum: Concilium Tridentinum intentionem faciendi quod facit Ecclesia non praecipit in Ministro, ut quid aliud a seria & libera applicatione materiae & formae; sed eundem majoris explicationis gratia lato fidei decreto sancire? Ut intelligamus, hoc ipsum quod a Ministro faciendum simpliciter dixerat, tanquam fidei dogma dixisset. Unde ita sub anathemate tenendum edixit, Canone undecimo septimae sessionis.

VI. Urgent nihilominus ex adverbo. Mimus, inquit illi, qui Baptismum in theatro ludit, eundem joculariter conferendo, externum Baptismi ritum conferre vult; non enim joculariter conferret, nisi vellet: & tamen Baptismus joculariter collatus nullus est: igitur satis non est intentio externi ritus peragendi.

Mera haec hallucinatio est, putidaque aequivo- catio. Mimus enim Baptismum joculariter conferens in theatro, ut irideat, aquam quidem infundere, verbaque proferre vult, cum re ipsa & infundat, & proferat: at cum id joculariter peragat, non vult baptizare, sed Baptisma re-

Serry Tom, VI.

praesentare, & irridere. Uti plane dum verba contractus matrimonialis in scena proferat, datque conjugales manus ad confarreationem, re ipsa verba proferre vult, manusque dare; non enim proferret, ac daret, nisi vellet; sed cum haec joculariter faciat, non vult contrahere Matrimonium, sed repraesentare, & irridere.

Unde & aberrant nonnulli de vulgo, (dicam id obiter) qui putant, ob id unum non valere Matrimonia in theatro a mimis contracta, quia quod exterius peragunt, interna mente retrahant. Ea ratio absorta est. Non sufficeret enim Matrimonio irritando interna illa retractatio, si quod exterius peragunt, serium esset. Nam si quod in scena peragunt, serio peragerent in Ecclesia coram testibus, & Parocho, staret profecto Matrimonium; quamvis occulta mente totum id retractarent, nollentque perficere Sacramentum. Idcirco ergo scenica Matrimonia sunt, quia ultra internam mentis retractationem, hoc ipsum, quod exterius peragunt, ludicrum est. Nec refert, quod plerumque ita se mimi componant, ut serio agere videantur: satis enim ludum prodiit scenicus apparatus, totumque theatri chorum.

VII. Addo & ego: si duo mimi, vir, & mulier, quo momento contractus Matrimonialis verba proferunt, datque mutuas manus in scena, vellent interna mente, sinceroque animi actu mutuam fidem obligare; non idcirco Matrimonium contraxissent. Primum quidem, ex nova Ecclesiae disciplina, quae matrimonia clandestina irrita pronuntiavit. Hoc siquidem Matrimonium clandestinum esset, tamen multis praesentibus fieret, ac etiam fortasse coram Parochis, & Sacerdotibus, si forte sciant interesset: quia quotquot ibi praesentes adfunt, non testes Matrimonii, sed spectatores ludi reputantur. Secundo, ex ipsa Sacramenti natura Matrimonium nullum esset: quia Matrimonium etiam clandestinum, quale erat ante Concilium Tridentinum, non solo consensu interno contrahatur, sed consensu signis, hoc est, verbis, aut nutibus expressis: omne quippe Sacramentum sensibile signum est: signa autem illa, verbaque scenica, quibus duo mimi consensum exprimerent, pro nihilo habeantur, hoc ipso quod scenica sunt; nec internum, quem forte gerunt, consensum exprimere reputantur: quia theatri verba, non ad internos animi motus exprimendos, sed ad fingendum duntaxat usus hominum destinavit. Unde hoc in casu esset quidem consensus internus, si ne signo tamen externo: atque ita nullum contraheretur Matrimonium, nullum perficeretur Sacramentum.

CAPUT XI.

Petita ex D. Augustino, & D. Thoma recentium Theologorum Momenta reseruntur.

I. Sed ad id, unde digressa videtur oratio, revertamur. Sumptis ex Augustino viribus, bellum in nos animosius instaurant Theologi recentiores, urgentque in hunc ferme modum acriter disputando.

D. Augustinus *Lib. 7. de Baptismo contra Donatistas Cap. 53.* cum sibi quaestionem proposuisset, an Baptismus mimice, & joculariter susceptus, valeat, duo reponit: Primo desiderare se Concilii plenarii definitionem, divinamque illustrationem in aliquanda difficultate adeo salebro- sa: secundo, privatam ea de re sententiam proferat: atque, si forte ipse in Concilio, ubi res

N

illa tractaretur, iudicium ferre cogeret, ita se pronunciatum: Nemp̄ habere eos Baptismum, qui ubiqueque, & a quibuscumque illum verbis evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide suscipiant. Ad Baptismum igitur adulti desiderat Augustinus, ut sine simulatione conferatur: aqua enim, ut in antecedentibus diximus, conferentis, ac suscipientis adulti intentio exigitur. Porro is, qui ritum externum serio quidem administrat, omniaque ab Ecclesia præscripta exterius adhibet, interius tamen revocat, ac veluti retractat intentionem, simulate se gerit: is itaque, ex Augustini sententia, non peragat Sacramentum.

Eo me modo facilius exsolvo, & Augustinum Catharino nostro concilio. Ac primo quidem, Augustinus loco illo objecto, Baptismum ioculariter, & mimicum susceptum omnino secerne a Baptismo simulate, & cum fallacia suscepto: quia in priori ritus externus palam, aperteque deridetur; in hoc quippe locus mimicus positus est: in altero ritus externus serio peragitur, & interna mente fictio regitur; in eo siquidem sit simulatio, atque fallacia. De priori, an valeat, sententiam non præcipit Augustinus, sed Concilii generalis definitionem optat, novamque ut ait illustrationem: de secundo quid sentiat, obiter insinuat, verbis in objectione laudatis. In ea Baptismatum discretione statuenda, stat cum Augustino Catharinus; unum ab altero longe fecerunt; imo primum, nempe mimicum, & ioculariter, nullum esse pronunciat, adversus Lutheranos, & Calvinianorum errorem: quia quam optaverat Augustinus generalis Concilii definitionem, nondum etate sua prodeuntem, viderat suo tempore Catharinos; decreta scilicet Conciliorum, Constantiensis, Florentini, & Tridentini. Alterum, nempe simulatum, & fictum, validum putat Catharinus, iis nixus fundamentis, quæ superioribus Capitibus exposuimus; maxime quoque Innocentii III. auctoritate *Cap. Majores, de Baptismo, ejusque effectibus: Qui sic ad Baptismum accedit, characterem suscipit Christianitatis impressum.*

At inquirunt: ad Baptismum desiderat Augustinus loco objecto, ut sine simulatione suscipiatur. Bene est, sed id desiderat, ut fructuosus sit ad justificationem suscipiens; non ut validus sit ad characteris impressionem: talis etenim est etiam simulate, sicque susceptus. Ne quis vero patet, merum istud effugium esse, responsum ex triplici capite confirmo. Primo, quia Augustinus loco laudato ad Baptismum non modo desiderat, ut sine simulatione suscipiatur, verum etiam cum aliqua fide: perspicua verba sunt, sine sua simulatione, inquit, & cum aliqua fide suscipiant: ac secundum Augustinum, non est necessaria fides in suscipiente, ut Baptismus validus sit, quoad characteris impressionem, sed ut fructuosus sit ad animæ sanctificationem: Igitur non est necessaria sinceritas, ad characteris impressionem, sed ad animæ sanctificationem. Secundo, quia Augustinus, post verba in objectione laudata, subdit e vestigio: *quamquam eis ad salutem spirituales non prodesset, si caritate carissent; qua Catholicæ insererentur Ecclesiæ.* Supponit ergo Sacramentum simulate susceptum, si modo simulatio occulta sit, valere aliunde ad characteris impressionem, tamen non prodest ad salutem, propter simulationis peccatum. Tertio (quod maxime notandum venit) quia Augustinus hoc ipso in loco, qui nobis obicitur, paucis interjectis, Baptismum fallaciter susceptum uti validum habet: idque certe statuit, non uti opinionem, de qua forte dubitaret, quemadmodum in-

terpretantur aliqui, aut in cujus confirmationem nova Conciliorum decreta operaret; sed uti rem competentissimam, Majorumque statutis eliquatam, ac definitam. Augustini verba hæc sunt: *Jam præteritis Majorum statuta non dubito, etiam illos habere Baptisma, qui quamvis fallaciter id accipiant, in Ecclesia tamen accipiunt, vel ubi putatur esse Ecclesia, & non est: ut apud hereticos, & schismaticos. Quid vero amabo est, Baptismum fallaciter accipere, nisi externum ritum omnem suscipere, nullo oppositæ intentionis dato signo, interius autem externam illam intentionem retractare? quæ ipsamet Catharini hypothesis est. Qui itaque Catharino Augustinum obijciunt, eundem Catharini patronum invenient, si semotis præjudiciis legere velint.*

II. Idcirco melius consulti illorum aliqui, Augustino doctrinæ suæ duce relicto, suppetias a Doctore Angelico petunt, quem totum a suis partibus stare putant. Quare testimonium ejus alius exaggerant in 4. Sentent. Dist. 27. Quest. 1. Art. 2. *Questiuncula 4. de Matrimonio* dicentis: *Expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit. Et in responso ad 2. Si desit consensus mentalis ex parte unius, ex neutra parte est Matrimonium.* Quibus paria habet Innocentius III. *Cap. Tria nos, extra de Sponsalibus, & Matrimonio in quinto Decretalium*; conceptissimis verbis discernens, non contrahi Matrimonium, nisi consensus verbis alivis signis expressis, interius etiam sit, mentalis, & minime factus. Quod etiam communiter docent Theologi, Legumque periti, ubi de consensu facto in Matrimonio disputant. Ex quibus istud in nos conficitur argumentum: Matrimonium nova legis Sacramentum est, cujus Ministri sunt ipsimet contrahentes: sed non perficitur Matrimonium solo contrahentium externo consensu, verbis, alivis signis expressis, nisi interior quoque sit, mentalis, ac minime factus: non itaque perficitur Sacramentum sola Ministrorum intentione, sacramentalibus verbis expressis, nisi interna quoque accedat intentio.

Et hunc quoque nodum paucis extricare possumus, negando contrahentes Ministros esse Matrimonii, ut Sacramentum est: quod certe eruditissimi Theologi negant, Legumque periti; qui non contrahentes, sed Sacerdotem benedicentem Ministrum esse contendunt: Quos longo ordine in meis Melchioris Cani Vindicationibus appellavi *Cap. 7. nempe Guillelmus Parisiensis Lib. de Sac. Tract. de Matr. Cap. 9. Quest. 1. & Cap. 1. de Bapt., Petrus Paludanus in Lib. 4. Sent. Dist. 5. Quest. 2. Simon Vigorius in Suffragio Tridentini dato, cujus meministi Cardinalis Pallavicinus Lib. 22. Hist. Cap. 9. n. 5. Melchior Cano Lib. 8. de Locis Theolog. Cap. 5. Dominicus Bannes in Comment. ad primam Part. D. Thomæ Quest. 1. Art. 8. Franciscus Cardinalis Toletus Lib. 7. Institut. Cap. 2. Guillelmus Eltius in Lib. 4. Sentent. Dist. 26. Parag. 10. Franciscus Sylvius in Supplemento Quest. 42. Art. 1. Quest. 1. Joannes Marius Scribonius Disput. 9. de Matrimonio, Vincentius Contensonius Lib. 11. Theolog. mentis, & cordis Part. 4. Disp. 4. Cap. 1. de Sacramento Matrimonii, Franciscus Combesius ad Orat. Damasceni in Constantinianum Caballinum, Claudius Frassenius in Scoto Academico Tractat. 3. de Matrimonio Disp. ultima, Art. 1. Quest. 3. Gaspard Junenius in Comm. Hist. Dogm. de Sacramentis Dissert. 12. de Matrimonio Quest. 3., Natalis Alexander in Theolog. Dogmat. & morali Lib. 2. de Sacramento Matrimonii Art. 5. Paragr. 2. In ea porro tot Virorum eruditorum de Matrimonii Administrato sententia, nihil ad præsens institutum valet opposi-*

positum argumentum: sic etenim falsum est, contrahentes ministros esse Matrimonii; atque ita falsa est suppositio. Age tamen, & contrahentes hujuscæ Sacramenti Ministros esse, juxta vulgarem opinionem concedamus: verumt imo sumus, qui istud nobis obijciunt, mutantque quadrata rotundis. Aliud enim est consensus unius conjugis in alterum, aliud est intentio perficiendi Sacramentum. Consensus unius conjugis in alterum, per verba, aliave signa expressus, est forma, aut certe causa efficiens Matrimonii: intentio autem perficiendi Sacramentum, non est forma, nec causa efficiens Matrimonii, sed conditio desiderata ex parte conjugum, ut Ministri sunt Sacramenti. Quia autem consensus fidei mutua, re ipsa consensus non est, quantumvis verbis expressus sit, nisi sit etiam interior, atque mentalis: idcirco Matrimonium nullum est, defectu nimirum forma necessaria, dum consensus verbis expressus, interior etiam, mentalisque non est. At non dicitur tunc Matrimonium nullum, ex defectu solius Ministrorum intentionis. Quare propositum argumentum a præsentis questione peregrinum omnino est. Agimus enim de interna, atque mentali Ministri intentione, quam necessariam esse negamus, ad perficiendum quodcumque Sacramentum; propositum autem argumentum probat ut ut maxime, formam Matrimonii, quam in interiori consensu signis expresso positam dicunt, ad perficiendum Matrimonium esse penitus necessariam. Equis dubitet? ac nihil istud ad nos, motamque hæctenus controversiam.

III. Si quis autem querat ex me, quorsum conjugum consensus inter sese mutus, non exterius duntaxat esse debeat, hoc est, verbis, ac signis expressis, verum etiam interius, atque mentalis, ut sit validum Matrimonium: non ita tamen esse debeat intentio Ministrorum, perficiendi quodcumque Sacramentum? (nam & inde contra nos argumentum a simili fieri posset) Respondeo latum inter utrumque discrimen esse: quia mutus conjugum consensus, quidpiam intimum, internum, atque mentale pro objecto habet; fidem scilicet mutuam, animorumque conjunctionem, quam sibi mutuo conjuges spondent; intentio vero Ministrorum quidpiam externum, atque sensibile pro objecto habet, ritum scilicet sacramentalem; in tali materia, talique forma perficiendum. Atque ita nil mirum, si conjugum consensus signis expressis, interius etiam, mentalisque esse debeat; non tamen intentio Ministrorum perficiendi Sacramentum.

IV. Nec est quod mihi quispiam obijciat, Doctorem Angelicum argumentum inde a simili petisse in 4. Sentent. Dist. 27. Quest. 1. Art. 2. *Questiuncula 4.* eaque maxime comparatione probasse, expressionem verborum, siue interiori conjugum consensu, non efficiere Matrimonium; quia sola interior Ministrorum intentio sine exteriori non sufficit ad Baptismum. *Sicut se habet, inquit ille, ablatio exterior ad Baptismum, ita se habet expressio verborum ad hoc Sacramentum: Matrimonium. Unde sicut si aliquis ablationem exteriorem reciperet, non intendens accipere Sacramentum, sed ludum, & dolum facere, non esset baptizatus: ita expressio verborum sine interiori consensu Matrimonium non facit.*

Id inquam frustra quispiam obijciat. Tum quod de intentione Ministrorum sacri Baptismatis non hic agit Doctor Angelicus, sed de intentione suscipientis: quæ altera difficultas est aliquantum gravior, de qua nobis non est in præsentia disputatio. Tum quod de intentione suscipientis loquatur, qua ludum facere vellet: quam

& nos ad validum Baptisma suscipiendum non sufficere, ulro citroque concedimus, qui seriam forissecum sacri Baptismatis tum susceptionem, tum collationem postulamus. Id ni dicamus, erit sibi contrarius Doctor Angelicus, qui eodem Lib. 4. Sentent. Dist. 6. Quest. 1. Art. 2. *questiuncul. 1. ad 2. Mentalem intentionem non desiderat in Ministro, sed solam intentionis expressionem.*

V. Hæc si minus solvenda difficultati sufficiunt, quæ ex consensu matrimoniali petitur adversus Catharini systema; hoc tibi brevius & expeditius responsum habeto. Dum Doctor Angelicus, legumque periti contendunt, interiore consensum esse necessariam ad validum Matrimonium, atque ita consensum fictum contrahendo Matrimonio non sufficere, communiter docent, de interiori consensu loquantur, cujus objectum sit verbum illud externum, *Ego te accipio in conjugem*, aliudve signum sensibile, quo sibi mutuam fidem conjuges spondent: adeo ut validum esse nolint Matrimonium, nisi Contrahentes interno voluntatis actu verbum illud externum proferre velint, aliudve sensibile signum dare, illudque re ipsa serio dent atque libere. Non de interiori consensu loquantur, cujus objectum sit ipsamet mutua fidei obligatio: Quasi vero necesse putent ad valorem matrimonii, ut contrahentes interna etiam mente, cordisque intimo mutuam illam fidem obligare velint, quam datis signis externis sibi invicem forissecum spondent. Absit id a virorum eruditorum mentibus. Ex antedictis enim *Cap. 9. Num. 3.* perspicuum est, promissionem solemniter serio ac libere datam perinde valere, ac promittentem adstringere, tamen interius desit animus promittendi, fidemque suam obligandi. Alias nemo unquam de contracto valide Matrimonio certus esse posset; cum nemini constare possit, liberis illis ferriisque mutua fidei signis, sibi ab altero conjugis datis, internum secretumque consensum actum accessisse. Quapropter consensus factus, quem Matrimonio contrahendo sufficere negant Theologi legumque periti, non ille simpliciter est, cui interior voluntatis assensus minime responderet, quo velint conjuges sese externis illis verbis aut signis invicem obligare; sed ille qui non modo secreto animo retractatur, verum etiam minus libere datur, aut minus serio.

Quare nihil Theologi legumque periti a Catharini systemate dissentiant, etiam ubi de Consensu matrimoniali disputatur. Uti enim ad ratum validumque Sacramentum satis esse vult Catharinus in Ministro externam celebrandi sacri ritus intentionem; quæ licet externa dicatur ratione objecti, (quia est de ritu externo celebrando) est tamen interna ratione principii; quia deliberatus est mentis actus, quo Minister ritum illum externum celebrare constituit, celebratque re ipsa: ita D. Thomas, legumque periti, ad validum Matrimonium satis in contrahentibus esse volunt externam mutua fidei promissionem, quæ licet externa dicatur ratione objecti, (quia est de dandis mutua fidei signis externis) est tamen interna ratione principii; quia deliberatus est mentis actus, quo contrahentes signa illa externa dare constituunt, dantque re ipsa. Ac velut administrato libere ac serio Sacramento, nihil officere docet Catharinus, si forte contraria Ministri intentio animo delitescat, modo ne prodatur exterius; ita contracto libere ac serio matrimonio, nihil officere docent Theologi, legumque periti, si forte interior contrahentium diſſensu animo delitescat, nulloque signo prodatur exterius. Alias consensus externe datus fictus est judicandus, veroque contrahendo ma-

trimonio non sufficit, propterea quod illata vi in-
cuffo timore fit datus.

Uno verbo, id postulant Theologi legumque pe-
riti ad ratum validumque matrimonium, ut con-
trahentes intimo liberoque mentis assensu, hoc
est, nulla vi nulloque timore concussi, externa
mutui consensus signa sibi invicem doneat. Quo
facto, nihil matrimonio officiat, si forte interno
mentis actu nolint fidem sibi invicem obligare.
Perinde enim remanent obligati in foro etiam in-
terno: quia Deus conscientiae testis ita promissio-
nem accipit alteri conjugi factam, ut ille ipse,
cui fit, eam intelligit. Quod fufius *Cap. 9.* de-
monstravimus.

VI. Sed ais, annon systema istud nostrum se-
cum ipso pugnat, dum feriam ritus externi cele-
brationem postulam, ut fiet validum Sacramen-
tum, tamen secreta Ministri intentione retracte-
tur? Quandoquidem *feria* celebratio non est,
dum secreta, occultaque Ministri intentione re-
tractatur.

Respondeo, actum humanum ferium dupliciter
dici: primo, quia nec fictus est, nec simulatus,
dum scilicet interior actus externo respondet: se-
cundo, quia iocularis non est, neque scenicus;
dum scilicet quicquid in actu externum est, se-
motto ludo fit, atque joco, etsi forte interio-
rum actui minime respondeat. Sacramentalem igitur ac-
tum secundo sensu ferium esse volumus; quia ta-
lem sacra Synodus Tridentina necessarium defini-
vit, adversus Lutheranorum, & Calvinianorum
errorem: non priori sensu actum ferium postula-
mus; cum nec talem postulent sacra Synodi, Ro-
manique Pontifices, ut ratum sit, ac validum
Sacramentum. Dicam id expeditius atque simpli-
cius: ludum internum officere Sacramento nega-
mus; externum officere profitemur: non pugnant
autem ista duo, sed stant saepe simul, exterior gra-
vitas, ludus interior. Atque ita nil secum pu-
gnat sententia nostra.

VII. Ad restim funiculum addunt aliqui, ut
D. Thomam in suas partes trahant. Si externa,
inquiunt illi, ministri intentio, quae in feria faci-
ri ritus celebratione consistit, ratum validumque
faceret Sacramentum, non autem interior mente-
que abdita; certe ubi non est in Ministro inten-
tio illa exterior, nullum profus Sacramentum
esset, etsi fortassis adesset interior: ac contingere
potest, subjungant illi, ut ratum sit ac validum
Sacramentum; E. G. ut rata validaque sit Con-
secratio Corporis Christi, etsi desit exterior in-
tentio; seu etsi ritus non observetur externe, imo
penitus omittatur: Non igitur exterior intentio
ratum validumque efficit Sacramentum, sed po-
tius interior. Minorem subsumptam D. Thomae
suffragio probant, in 4. *Sent. Dist. 13. quest. 1.*
*art. 2. quest. 6. Remotis his, quae non sunt de
essentia rei, nihilominus res manet; unde cum hu-
jusmodi ritus, & quantum ad determinationem bo-
rae, vel loci, vel indumentorum, non sint de essen-
tia Sacramenti, sed de solemnitate, si omittantur;
nihilominus consecratum est sacrificium; dummodo ad-
sint ea, quae sunt de essentia Sacramenti, scilicet
ordo, & intentio ex parte consecrantis, & materia,
& forma, ex parte consecrati: tamen graviter pec-
cat, qui aliter facit, & degradandus esset.*
*Et 3. part. quest. 83. art. 3. ad 8. Si Sacerdos verba
consecrationis proferat super materia debita, cum
intentione consecrandi, absque omnibus praedictis,
scilicet domo, & altari, calice, & corporali conse-
cratis & ceteris hujusmodi, per Ecclesiam institu-
tio, consecrat quidem in rei veritate Corpus Christi,
peccat tamen graviter, ritum Ecclesiae non ser-
vans.*

Confirmant hoc ipsum exemplo sacrilegi Sacer-

dotis, qui cum ad patibulum duceretur, panes in
pistoris taberna venales, prolatis elata voce ver-
bis Eucharisticis consecravit; qui certe externam
Ecclesiae intentionem non habuit, in feria faci-
ri ritus celebratione positam; quam potius impie
& sacrilege violavit.

Respondeo sacrum ritum, in cuius feria cele-
bratione necessariam intentionem positam volumus,
illum solum esse, qui a Christo Domino tan-
quam Sacramenti essentia institutus est; feriam
nempe applicationem debite formae ad debitam
materiam: non illum vero, qui ab Ecclesia ad
congruentem religiosam ac piam Sacramenti ce-
lebrationem est additus: ad quem illa spectant om-
nia, quae a Doctore Angelico recensentur. Qui
ergo debitam formam debite materiae applicat,
Ecclesiae intentionem censetur habere; quanta satis
est, ut sit valida consecratio; etsi ecclesiasticum
ritum omittens, non eam habeat intentionem,
quae ad religiosam piamque Sacramenti consecratio-
nem praescribit Ecclesia.

Ceterum de sacrilego Sacerdote, qui supra ve-
nales panes ad patibulum ductus verba protulit
Eucharistica, *hoc est corpus meum;* quorumdam eru-
ditorum sententia fuit, nullam ab eo consecratio-
nem esse factam; propterea quod is *intentionem*,
ut aiebant, *Ecclesia non habuisset, qua Mini-
stros suos decerneret ac reverenter rem sacram facere
vult.* Ita nempe pronuntiavit Illustrissimus Pe-
trus de Marca Archiepiscopus Parisiensis, in *Opus-
culo quodam posthumo per D. Fagerum publicato.*
Verum non observavit vir summus, futilem cas-
samque esse rationem adductam; aliudque longe
esse quod intendit Ecclesia, ut sit validum Sacra-
mentum; aliud quod intendit & mandat, ut pie
ac religiose ministretur. Ad primum quidem id
Ecclesia vult, ut minister serio libereque formam
materiae applicet suae (quod fecisse videri potest
sacrilegus sacerdos) ad alterum, ut rem sacram
faciat decenter ac reverenter; quod ille profecto
non fecit. Alias si ad validum Sacramentum,
istud quoque alterum necessarium foret, non mo-
do memorati sacrilegi Sacerdotis consecratio nullo
fuisset; sed & alterius cujusque minus pii mi-
nusque religiosi Sacerdotis, qui rem sacram pu-
blice in Ecclesia facit, *irreverenter* tamen & *in-
decenter.* Quod certe Theologorum nemo unus
somniavit.

Ego tamen, (si meum hic iudicium de facto
sacrilegi Sacerdotis interponere liceat) nullam
fuisse consecrationem opinabor: Non quidem quia
rem sacram *decenter ac reverenter non facit*, ut phi-
losophati sunt aliqui; sed quia rem sacram non
fecit serio, formamque materiae applicavit irriso-
rie: eique propterea desit exterior intentio, qua-
lem haecenus ad validam Sacramenti consecrationem,
necessariam propugnavimus. Quamquam enim non
id egerit impius Sacerdos, ut vel oblationem
inde caperet aliquam, vel ut adstantes recrearet,
& provocaret ad risum, (quod facit mimus in
Theatro) id; egit tamen, ut ipsum luderet ac
prophaneret Sacramentum; quod necessarier inten-
tioni repugnat; ac tum maxime dum prava pro-
phanandi ludendique voluntas signis externis, facti-
que circumstantiis innotescit: quod certe memo-
rato in casu accidisse, liquet. Quis enim ex cir-
cumstantiis loci ac temporis, quo ea facta seu po-
tius tentata est consecratio, ex conditione perso-
nae consecrantis, ipsoque demum consecrandi mo-
do, pravam atque sacrilegam intentionem volun-
tatemque non illico deprehendit? Hac ergo de
causa, meo quidem iudicio, nulla tunc facta est
consecratio.

CAPUT XII.

*Objecta, ex Romanae Inquisitionis Decreto, difficultas
eliditur, expeditur: nova Domestici adversarii
argutia refelluntur.*

I. Decreto Romanae Inquisitionis tanquam
ariete admoto, Catharinum impetunt re-
centiores: eo nimirum quod die 7. Decembris
anno 1690. sub Alexandro VIII. datum est: ubi
inter propositiones 31. haec damnatur assertio,
num. 28. *Valeat Baptismus collatus a Ministro, qui
omnem ritum externum, formamque baptizandi ob-
servat, intus vero in corde suo apud se resolvit,
non intendendo facere, quod facit Ecclesia.* Quo telo
Catharini sententiam, ac nostram petitam existi-
mant.

At perperam profus atque injuria. Ea quippe
proscripta propositione, Catharini sententia ac
nostra minime continetur. In illa siquidem tem-
peramenta desunt, a Catharino, & a nobis appo-
sita, quae rei summam plane consunt. Contendi-
mus enim primo, valere Baptismum ab eo col-
latum, qui serio, omnique semoto joco, ritum
omnem externum observat; tamen intus inten-
tionem, quam prodit exterior, intra se retineat,
atque retractet. Proscripta vero propositio, nulla
feriae, & ab omni joco semotae administrationis
mentionem facta, valere Baptismum affirmat, si ritus
externus quomodolibet administratur: atque
ita iuste ferulam meruit. Sic enim Baptismus et-
iam a mimo, ludendi causa collatus in scena,
validus esset. Ille enim ritum omnem externum
observat, tamen ludens, atque irridens. Non
itaque sententia nostra eo telo petita est, sed Cal-
vini, & Lutheri doctrina; qui Baptismum etiam
scenicum, ac theatralem, ratum, ac validum fa-
bulantur: quae sententia a nonnullis male feriatis
imprudenter recudebatur in Belgio, aut certe re-
cudi ferebatur.

Secundo, valere Baptismum contendimus, mo-
do libere ministretur, & in iis maxime circum-
stantiis, ex quibus determinatur Minister ad agen-
dum publico Ecclesiae nomine: Proscripta vero
propositio nullam hujusmodi libertatis, & circum-
stantiarum mentionem ingerit: sed universum va-
lere dicit quocumque casu, modo ritus exterior
peragatur. Sic ergo valeret Baptismus ab eo col-
latus, qui harente suis faucibus gladio, ad pro-
ferenda verba compelleretur. Ille quippe Minister
ritum externum observaret, tamen coacte, & in
ea circumstantia, in qua certe non tenetur age-
re, uti Minister Ecclesiae, illiusque nomine.
Nihil itaque cum Catharini sententia, ac no-
stra commune habet propositio ab Alexandro pro-
scripta.

Tertio loquitur propositio damnata de Mini-
stro, qui intra se diceret. *Non intendo facere quod
facit Ecclesia:* At in systemate nostro Minister id
intra se dicere non potest; quia supponimus Mi-
nistrum serio, & libere facientem quicquid Ec-
clesia facit: implicat autem ut qui serio, & li-
bere facit quod facit Ecclesia, intus intra se di-
cat: *Non intendo facere quod facit Ecclesia.* Quo-
modo enim serio, & libere faceret, si facere non
intenderet? Esset profecto ea protestatio contra-
ria facta. Non ergo systema Catharini, & no-
strum ea damnatione petitur, sed aliud longe
diversum.

II. Quocirca sancte & religiose profiteor, me
quo tempore Decretum illud editum est, Romae
subsistisse, serioque nonnullos primae notae Prae-
sules Consultores, qui in ferenda sententia Iudices
sederant, interrogasse, nam Catharini sententiam

eo Decreto proscribere voluissent; eosque semel
iterumque id pernegasse, profosque aliud longe
a Catharini systemate, ea proscripta propositione
contineri.

Et quidem etiam post latum Decretum illud,
Catharini sententiam a gravissimis Theologis pro-
pugnata videmus: a Gaspare Jenino, Oratorii
Domini Jesu Presbytero, in *Commentario Histori-
co-Dogmatico de Sacramentis*, nupquam a Romana
Sede proscripto, etsi Theologicae illius Institutio-
nes haud ita propitium Romanum Coelum habue-
rint: ubi etiam objectum sibi Decretum illud in-
terpretatur, & cum Catharini sententia conciliat:
ab Illustrissimo Praesule Francisco Gonetto Episco-
po Vasionensi, in *Theologia morali*, ante annos
circiter viginti, Clementi XI. nuncupata, eodem-
que Pontifice annuente, Venetiis edita; ubi va-
rios conscientiae casus Catharini systema erudite
resolvit, in *Appendice Tomi tertii*: ab Auctore
Summae Alexandrinae, ante annos aliquot Romae
cum approbatione Magistri sacri Palatii Aposto-
lici, aliorumque Curiae Censorum, typis editae,
ac nuper ex Benedicti XIII. iussu anno 1725. pu-
blicata: in cuius *Tom. I. Tractatu de Sacramentis
in genere pag. 32. n. 47.* assertio ista ponitur, ac
defenditur, Catharini sententiam spirans, ac in-
time referens. (Ad Parochum Massiliensem al-
ludit hic auctor, Ludovicum Gausfredum, de quo
supra *cap. 6.*) *Si potest Sacerdos, & magicis ar-
tibus deditus, passioque exercendo diabolo obligatus,
serio quidem baptizaverit infantes sibi oblatos, per-
fundens aqua, in nomine Patris, & Filii, & Spi-
ritus Sancti, & veram, ac sinceram voluntatem ha-
berit exercenda exterioris illius caeremoniae, qua ba-
ptizans Ecclesia utitur, eamque se vera exercuerit,
per speciem hominis eo illam dirigentis, quo Ec-
clesia dirigit, sed tamen intentionem habuerit, quoties
baptizavit, infantes sibi oblatos devorandi Diabolo;
pueris illis non nocuit sacrilega intentio Ministri;
illos enim per Baptismum Deo consecravit Christum,
qui baptizat, consecravit Columba, id est Ecclesia;
quorum nomine Minister baptizavit; Neque vin ver-
borum Evangelicorum, quae integra serio protulit,
frustrare potuit. Idem est de aliis Sacramentis ju-
diciam. Quid aliud per fidem Numinum Catha-
rinus? quid aliud & nos?*

Sed & nemo nescit, sententiam illam in publi-
cis circuitus Romae persaepe defendi, probante, ut
illuc moris est, sacri Palatii Apostolici Magistro,
publico conclusionum censore, & approbatore.
Quod utique minime feret, si Ambrosii Catha-
rini systema Alexandri VIII. decreto fuisset inau-
ditum.

Ec quis etiam facile sibi persuadeat, Alexan-
dri VIII. damnare Decreto suo voluisse Inno-
centium IV. cuius est ista sententia, Catharini sy-
stema verbis etiam crudioribus exprimens: *Non est ne-
cesse, quod Magister gerat in mente facere quod facit Ec-
clesia; imo si contrarium gereret in mente, scilicet
non facere quod facit Ecclesia, sed tamen facit, quia
formam servat, nihilominus baptizatus est, dummodo
baptizare intendat.* Super *Caput si quis puerum
Tit. de Baptismo:* quamquam non esset ille Pon-
tifex, dum haec scripsit, sed privatus Canonici
Juris interpres.

III. Haec nos ad decreti Alexandrini explica-
tionem responsa dedimus, priori Vindictarum ista-
rum Editione, adeo per se se resoluta ac decreto-
ria, ut refractariola quaeque ingenia rapiant ac de-
vinciant. Repugnat nihilominus domesticus Impu-
gnator, subdolisque cavillis conatur evertere. Au-
diamus itaque Cavillatorem.

Damnata, inquit ille, ab Alexandro propo-
sio de eo Ministro loquitur, qui ritum omnem
externum observat: sed ad ritum externum perti-
net

net seria libera publica rei sacra petra factio : est itaque damnata propositio, de Ministro intellecta etiam serio libere ac publice celebrante.

Ingeniose scilicet atque subtiliter disputatum? Quasi vero non aliud sit, quod ad ritum sacramentalem pertinet, ex parte Sacramenti; alterum quod ad eundem pertinet ex parte Ministris: (quod duo in ritu sacramentali sapienter distinguit Doctor Angelicus in 4. sent. dist. 13. qu. 1. art. 2. quest. 6.) Primum est materia & forma, alterum est seria liberaque materia & forma applicatio. Porro damnata est propositio, quod de Ministro loquatur ritum omnem observante, quantum ad primum, non idem quantum ad alterum. Atque ita nihil Catharinum eiusque vindices ea damnatio contingit.

Instat Cavillator: Intellecta propositio de Ministro iocose & scurriliter ministrante, in Concilio Tridentino damnata jam fuerat, contra Lutherum & Calvinum: non itaque necesse erat ut ab Alexandro VIII. secundo damnaretur, si de eo duntaxat Ministro re ipsa dicta est, ut interpretari nobis libuit.

Eccur quæso secundo damnari necesse non fuit, si qui primum in Luthero & Calvino a Patribus Tridentinis damnatus est error, a nonnullis Theologis recentioribus recudebatur in Belgio? aut certe recudi ferebatur.

Verum urget ille: Nullus ætate nostra inventus est Theologus Belgæ, qui propositionem illam, Luthero sensu acceptam de scripto docuerit: quique Baptismum fœnicum & theatralem ratum validumque commentus sit.

O tu quis es, & ubi gentium vivis, qui isthæc nobis occentes; Num forte apud Garamantas & Indos, ut ignores, Lutherani sensum erroremque, Catharini systematis defensoribus fuisse semper assiduum ab æmulis obtrahentibus, qui alterum ex altero fluere ignoranter arbitrabantur? Nihil itaque mirum, si Lutheranus huiusce propositionis sensus, Belgis nonnullis Theologis per summam calumniam attributus, novo Alexandri VIII. Decreto damnatus sit.

CAPUT XIII.

Momentum a Præfata Patrum Orientalium Historia petium eliditur, exsufflatur.

I. Dispendium operæ faciam, si surda aure præterierit observationem historicam, quæ non ita pridem Vir eruditus, ac mihi summe colendus, in publica disputatione evincere satagebat, prisco Ecclesiæ Patres ab eo, quod defendimus, Catharini systemate longius abcessisse.

Perfectum est, ajebat ille, permultos Ecclesiæ Patres, ac in his maxime Athanasium Orat. 3. contra Arianos, Basilium Epist. 1. Canonica ad Amphilochium, Cyrillum Hierosolymitanum in Præfatione Catechesica, post celebratas Synodos Arelatensem, atque Nicenam, ubi Rebaptizantium error proscriptus fuerat, hæreticorum Baptisma rejecisse; eosdemque, si ad Ecclesiam accederent, secundo tinxisse. At hæreticorum Baptisma non ideo rejicere poterant laudati Patres, quod sine fide collatum esset; cum Ministris fidem ad Baptismi valorem minime necessariam, laudatæ Synodi definitivissent: nec quod hæretici joculariter Sacramenta sua ministrarent; cum contra & serio, & libere ministrare universos; exploratissimum esset: Horum ergo Baptisma rejiciebant laudati Patres, quod nefarios illos viros sinceram, internam, secretamque perficiendi Sacramenti intentionem non habere, suspicarentur. Adeoque illam ipsam, ad Sacramenti valorem, necessariam

intentionem Ecclesiæ Patres, præsertim Orientales existimarent.

Cujus animalis cauda illa sit, haud satis capio: adeo est illa ab suo capite longe deducta. Quidni verius augeatur nos, Athanasium, Basilium, & Cyrillum, hæreticorum Baptisma, etiam post lata Arelate, & Nicæa judicia rejecisse; eosdemque, si ad Ecclesiam accederent, secundo tinxisse, alia plane de causa, quam quæ in eo fingitur argumentum? Nempe quod metus esset, ne si Baptismatis formam lustrando vitiosarent; qui magna ex parte contra Trinitatis fidem errabant. Unde & Athanasius, hæc ipsa in Oratione 3. qua Baptismum Ariatorum, tanquam vanam speciem, inanemque simulacrum rejicit, hæc judicii sui rationem assignat: Non enim in Patre, & Filio viduum Baptisma Ariani, sed in Creatore, & creatura, in Fælore, & factura. Quod idem de nonnullis saltem Arianis observat Doctor Angelicus 1. part. quest. 61. art. 1. illos scilicet baptizare solitos, in nomine Patris majoris, & Filii minoris. Ex quibus proinde intelligimus, quo sensu de iisdem Arianis laudata jam Oratione 3. dixerit Athanasius. Nomen Patris, & Filii, quia illa in Scripturis videntur, simulant se se nominare baptizando; nempe quod sacra illa nomina Divinarum personarum extremis labiis pronunciando; spuris glossematibus sensu vacuarent.

II. Quamquam nihil est cur hoc ipsum quæramus effugium, ut ab eo nos expediatur argumentum. Ideo enim Cyrillus, Basilus, alique nonnulli Orientalis Ecclesiæ Patres hæreticorum Baptisma repudiabant, illosque ad Ecclesiam reduces novo Baptismate initiabant, quod Ministris fidem ad Sacramenti valorem necessariam repararet, et si secus Arelatenis Synodus, atque Nicæna decrevisset: tum quia Synodi Arelatenis in Occidente celebratæ auctoritatem non agnoscebant; tum quia Africanorum errorem in Nicæna Synodo, per legitimam duntaxat consequentiam damnatum, necdum tunc deprehenderant: tum demum, idque præcipue, quia quæstionem illam (sit ne hæreticorum Baptisma recipiendum, an rejiciendum,) disciplinæ caput esse, non juris arbitrabantur: in quo privatis Ecclesiis, prisco suis stare moribus atque usibus licitum esset: quidquid ea in re Oeconomica causa laudatæ Synodi statuisset. Unde & Basilus post Nicenam Synodum ad Amphilochium scribens, Recte admonuisti, ait, quod oportet uniuscujusque regionis morem sequi: quod variæ fuerint de ipsorum Baptismate dissensiones.

Neque vero id mirum, cum primi ipsi controvertentibus hujus auctores, Cyprianus, Firmilianus, ceterique Africa Præfules, non juris, sed disciplinæ quæstionem esse contentissent, in qua cuique Episcopo liberum esset & sentire, & servare quod veller. Unde Cyprianus in Epist. 72. ad Stephanum R. P. suo & Synodi Africanæ nomine data, Scimus, inquit, quosdam, quod semel imbutos, nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter Collegas pacis & concordie vinculo, quandam propriam, quæ apud se semel sine usurpata, retinere. Quæ in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem domus, quando habeat in Ecclesiæ administratione, voluntatis sue arbitrium liberum uniuscujusque Præpositus, rationi actus sui Domino redditurus. Et Epist. 76. ad Magnum: Ostendi quid nos, quantum in nobis est, sentiamus; nemini præferentes, quominus statuat quod putat uniuscujusque Præpositus actus sui rationem Domino redditurus.

III. Cæterum laudatos in argumento Ecclesiæ Patres, Athanasium, Basilium, Cyrillum Hierosolymitanum, aliosque quoscumque libet, ideo tunc hære-

INTENTIONE.

hæreticorum Baptisma rejecisse, quod illos internam, secretamque de qua agimus intentionem nequaquam adhibere suspicarentur (quod ajebat ferivus Disputator) figmentum est inter omnia maximum, quod nemini unquam venit in mentem. Sic enim omni subinde ætate, ac etiam post recepta, probeque intellecta Synodi Arelatenis, atque Nicæna Decreta, hæreticorum Baptisma perinde rejecissent; illosque, ubi ad Ecclesiam rediebant, secundo tinxissent: cum eam semper de viris perdis suspicionem habere possent, num secretam illam internamque intentionem non adhibuissent. Quod tamen secus accidisse perfectum est. Imo quoties secutus inde temporibus, de nonnullis hæreticis ad Ecclesiam reducibus denuo baptizandis est actum, quod minus recte sua in se hæc baptizati crederentur; de servata quidem a Ministris suis debita forma, deque sacro ritu serio, prudenterque parato quæsitum est diligenter; de interna vero secretaque intentione ab iisdem adhibita, quæstio plane nulla est habita. Adeo scilicet persuasum Patribus erat, eam in Ministris, ut rata, validaque sint Sacramenta, minime desiderari.

IV. Sed quid juvat his immorari? Imo si quid ex celebri illa de rebaptizandis hæreticis controversia prisco Ecclesiæ sæculis agitata extundi potest, quod ad quæstionem hanc nostram trahere liceat; longe verius ex lato tunc demum solemniori judicio momentum petetur in gratiam Systematis Catharini, quam ex singulari, quæ modo nobis objicitur, quorumdam Græcorum Patrum opinione, contra Catharinum.

Supremo enim Ecclesiæ judicio definitum tandem est, ratum stare validumque Baptisma, a quibusvis Hæreticis, etiam de Trinitate prave sentientibus; quales tunc plurimi erant, administratum; modo tamen verbis Evangelicis, seu cum distincta Divinarum personarum invocatione collatum esset. Ita quippe Concilium Arelatense 1. Can. 8. placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de hæreticis venerit, interrogent eum Symbolum, & si perviderint eum in Patre & Filio, & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponantur, ut accipiat Spiritum Sanctum. (a) Ex quo consequens est, ratum fuisse validumque baptisma Ariatorum illorum, qui licet Dei Filium adoptivum duntaxat agnoscerent, eundemque puram putamque creaturam existimarent, verba nihilominus Evangelica: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, pura castaque tingendo proferebant. Porro, inquit ego, quotquot tales erant Ariani, si certe intentionem, ut vocant, externam habebant faciendi quod facit Ecclesiæ, faciebantque re ipsa, sacrum scilicet ritum, uti præceptum est, exercendo: internam tamen intentionem non habebant; imo potius occulta secretaque mente, contra quod facit Ecclesiæ, baptizabant in nomine Creatoris & creature; cum eum verborum Evangelicorum, quæ extremis labiis proferebant, sensum esse animo figerent, secretaque mente conciperent. Erat ergo ratum validumque Baptisma, cum sola externa intentione faciendi quod facit Ecclesiæ ministratum, interna intentione non accedente, imo verius repugnante, secretoque negante ac revocante quod pronunciabatur exterius. Qui enim Dei Filium extremis duntaxat labiis dicit, intus vero Filium tantum adoptivum, puramque creaturam intelligit, menteque concipit; is certe intus in animo negat quod proficitur exterius. Et hoc tamen Baptisma ratum validumque supremi Ecclesiæ judicio pronunciatum est. Catharini ergo systemati favet quam maxime latum

ultimo tandem, in causa Rebaptizantium, Ecclesiæ judicium.

Neque vero reponi potest, Ariani Ministrum Baptisma verbis Evangelicis conferentem, intus etiam secretoque animo baptizare velle. Quamquam enim baptizare fortasse intus & in animo velit; quia tamen non in veri Filii Dei nomine interna mente vult baptizare, sed in nomine Filii duntaxat adoptivi, seu creature, quam eo filii nomine concipit; non censetur idcirco interna secretaque mente velle facere quod facit Ecclesiæ: ut profecto externe non faceret quod facit Ecclesiæ, si nude simpliciterque baptizaret, & loco Filii Creature nomen distincta voce in forma Baptismatis pronunciat. Sicut enim Ecclesiæ ritum illum exercet in debita materia, ita quoque in debita forma, qualis scilicet in Evangelio præscripta est: quam idcirco Ariani internam mente corrumpitur vitiant; dum eam longe aliter mente concipit, quam Ecclesiæ ipsa concipiat atque intelligat.

Quod autem de Baptismo Ariatorum diximus hæcenus, de Baptismo perinde Macedonianorum, & Sabellianorum æqua ratione dici potest; ut ex hoc quoque in gratiam systematis Catharini petatur argumentum. Cum & Macedoniani, nomine Spiritus S. in forma Baptismatis expresso, non nisi creaturam intus in animo intelligerent; & Sabelliani nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, non nisi personam unicum tribus titulis insignitam, occulta secretaque mente perciperent. Quare & si interna, ut ajunt, intentione, perinde ac Ariani carebant, id faciendi quod facit Ecclesiæ, solamque externam adhibebant, dum Baptismatis formam extremis labiis pronunciabant. Quorum tamen Baptisma, non secus ac ceterorum Hæreticorum, ratum est habitum, solemniori illo Ecclesiæ judicio atque decreto, quo lis illa magna, de rebaptizandis Hæreticis, tandem aliquando finita est.

CAPUT XIV.

Ducta a ratione, adversus Catharini Systema, Momenta reliqua diluantur: Domestici adversarius denuo refellitur.

I. AB auctoritate pugnare, recentibus Theologis haud satis visum: Theologica ratio nos urget, eaque non una. Quid ergo sus illis Mercurius inspiravit, videamus.

Totum, inquam illi, quod in Baptismatis ritum externum est, serio, & libere peragi potest, tamen Sacramentum minime conferat: illud ergo satis non est ad perficiendum Sacramentum. Alio quippe sine infundi aqua potest, alio sine possunt & verba proferri. E. G. Si quis aquam infundat, ut fordentem, aut corporaliter ægrostantem puerum corporaliter abluat; addatque inter abluendum, Ego te abluo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; non ut verba sacramentalia proferat, sed ex pietate tantum id dicat; utque Apostolo religiosus obsequatur præcipienti, ut quidquid agimus in verbo, & in opere, in nomine Domini faciamus. Tunc porro, inquam illi, omnia quæ Catharinus ad Baptismi valorem postulat, ieveniuntur; nempe voluntas serio peragendi ritum illum in Ecclesiæ frequentatum, nimirum externam corporis abluionem, sacrorumque verborum prolationem: quamvis ablutio illa non agatur, ut sacramentalis est, sed ut medicinalis. Aut ergo concedendam, puerum illum ita ablutum valide esse baptizatum, quod nemo dixe-

(a) Apud Labb. Tom 1. pag. 1452

dixerit prudens; aut fatendum, satis non esse ad valorem Baptismatis, si ritus externus serio peragatur, ac libere; aditque dumtaxat intentio verbis serio prolatis expressa; sed aliam prorsus desiderari, qua ritus externus intendatur, ut sacramentalis est, utque ab Ecclesia peragitur.

In hoc argumento Gonerus noster, alique delicias faciunt, quod ego præ cæteris nauci facio. Seria enim externi ritus celebratio a Catharino, nobisque hæcenus propugnata, uti ad valorem Sacramenti sufficiens, non illa solum est, quæ joco, ludoque opponitur; sed & illa, quæ in iis circumstantiis fiat, ex quibus Sacerdos determinatur ad agendum, ut Minister Ecclesiæ, ejusque nomine: ita scilicet ut qui ritum externum serio peragit, non modo jocosè non agat, verum etiam nulla externa circumstantia, nulloque externo signo prodatur, se aliud agere, quam quod agit Ecclesia baptizando. Ceterum qui aquam infundit, ut fordentem, aut ægrotañtem puerum abluat, cum pia illa, & religiosa Sanctissimæ Trinitatis invocatione, etsi jocosè non agat, ipso tamen abluendi modo, aliisque circumstantiis satis exterius prodit, se aliud quidpiam agere, quam quod agit Ecclesia baptizando. Quia illæ ipsæ fordes, quibus inquinatus est puer, morbuse quo affectus est, satis per sese indicant, non ad animæ sanctificationem, sed ad munditiæ corporis, illiusve curationem fieri hujusmodi lotionem. Quid si puer ille sit antea baptizatus? Si a parentibus corporaliter abluendus offeratur, non suscipiendi baptismatis gratia? Si ablutio profano in loco fiat? Si quis illum abluendo fricat? Aliaque id genus in ea lotionem contingant? An non quæso satis aperte indicant illa, eum, qui sic puerum abluat, eaque verba pronunciat, sacrum Ecclesiæ ritum peragere nolle? Quare ex ipsius Catharini judicio, nullum hac occasione perficitur Sacramentum: quia voluntas non agendi hujusmodi abluionem, uti sacramentalem, & sacram, occulta non est, sed variis judiciis, & circumstantiis manifesta.

II. At ecce, inquit mihi: & id etiam contingere potest, ut sola secreta, occultaque intentione contraria, nullo etiam signo manifestata, fiat irritum Sacramentum; quamvis serio, libereque ritus exterior peragatur, in iis circumstantiis, ex quibus determinatur Sacerdos ad agendum nomine publico. Ique fatagent ostendere ex Rubricis Missalis Romani *Par. 7. de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus*: ubi sic legitur: *Si quis Sacerdos habeat coram se undecim Hostias, supra quas omnes proferat verba consecrationis, & intendat consecrare solum decem, non determinans, quas decem intendit: in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio.* Aut si dimidiam dumtaxat partem Hostiæ consecrare intendere, nec eam ullo modo designaret, nihil consecraret. Sed iis in casibus, totus ritus externus serio, libere celebraretur, atque solemniter supra omnes Hostias: nec per aliud impediretur consecratio, quam per contrariam intentionem occultam, nullo externo signo manifestatam: igitur hæc sola sufficit irritando Sacramento etiam solemniter ministrato.

Næ quæso lepidi Theologi, qui Missalis Rubricas, tanquam Ecclesiæ definitiones nobis objiciunt, ex quibus decretorium peti possit argumentum? cum potius (paucis exceptis, quæ ex nonnullis Ecclesiæ statutis in Canone relatis expressæ sunt) non nisi privatorem Theologorum resolutiones illæ sint, de moribus, & ritibus scribentium, quæ in Missali libro ad commodum Sacerdotum inferuntur. Adeoque nil mirum si ita propositos casus resolvant, juxta sententiam Cathari-

no contrariam, quæ frequentior, & communior in Scholis est. Cæterum stando principiis sententiæ Catharini, dicendum est vice versa, fieri consecrationem omnium Hostiarum, supra quas consecrationis verba serio, libere & solemniter proferuntur: quantumvis secreto intendat Sacerdos non consecrare omnes, aut mediam dumtaxat unius partem indeterminatam; imo tamen secreto nihil intenderet consecrare.

Næ tu vero lepidior, nostri hujus responsi, quod antea dederamus, reprehensor & ofor; qui ut objectam Missalis Romani rubricam, tanquam Pontificiam definitionem recipiendam ostendas; secundum quam de proposito undecim Hostiarum casu judicare necesse sit, non privatorem Theologorum resolutionem, a qua dissentire sit liberum; decretum profers S. Rituum Congregationis, his verbis expressum: *Demum renovando decreta alias facta, mandat S. Congregatio, in omnibus & per omnia servari Rubricas Missalis Romani, non obstante quocumque prætextu, & contraria consuetudine, quam ab usum esse declarat. Et facta relatione horum decretorum S. D. N. Urbano VIII. Sanctitas sua annuit, & ab omnibus ubique servari, & in Missali Romano noviter imprimendo apponi mandavit.* Nec advertis vir erudite, sanctum id esse statutumque de Rubricis, Missæ celebrandæ ritus, & caeremonias prescribentibus; quas nonnulli prætextu contrarie consuetudinis, pro arbitrio immutabant: non de Rubricis variorum Theologorum opinionibus complectentibus; secundum quas de nonnullis inter celebrandum occurrentibus casibus judicare, privatis Sacerdotibus liceat, quid illis facto sit opus, ut errata, si quæ forte contingerint, emendentur. De iis quippe Theologorum opinionibus nihil unquam Ecclesia statuit, ut pro Canonibus habeantur.

Age tamen, & laudatam Missalis Libri Rubricam uti canonicam Ecclesiæ resolutionem accipiamus; adhuc tamen in tuto sumus. Eam quippe regulam intelligendam esse reponimus, iis dumtaxat in casibus, in quibus Sacerdos aliquo externo signo manifestat, nolle se omnes Hostias consecrare, aut indeterminatam dumtaxat unius partem. Cæterum si nullo id signo manifestet, omnes profecto consecrat Hostias, omnesque illarum partes, supra quas sacra de more verba pronunciat serio, libereque.

Quare si qui sunt Catharini sententiæ vindices, qui de proposito Hostiarum consecrandarum casu, juxta Missalis Romani rubricam judicant; ut profecto Angelus de Clavaſio, & Sylvester Prietas judicasse feruntur: si certe aut ea in hypotheti sunt locuti quam innuimus; aut si absolute dixerunt, rejiciendi omnino sunt; utpote qui statutis doctrinæ suæ principii minus hæreant, causamque per imprudentiam prodant, quam tuerentur.

III. Urgent nihilominus ex adverso, argumento e contrario petito. Contingit aliquando, ut sola secretior, & interior intentio Ministri ratum, validumque efficiat Sacramentum, etsi non accedat exterior illa intentio, quæ in seria formæ prolatione consistit: igitur ad ratum, validumque Sacramentum sufficit: plus juxta interna, atque secretior intentio Ministri, quam quæ prodit exterius seria formæ prolatione. Patet, inquit, antecessus ex *Epist. Zachariæ R. P. ad Bonifacium Episcopum*, quæ refertur in *Capite Reulerunt, Distinct. 4. de Consecratione*. *Retulerunt nuncii tui, inquit Zachariæ, quod fuerit in eadem Provincia Sacerdos, qui latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret nesciens latini eloqui, infringens linguam diceret, Baptizo te in nomine Patriæ, & Filii, & Spiritus Sancti. Ac*

per hoc tua Reverenda Præteritis consideravit eos rebaptizare. Sed, Sanctissime Pater, si ille, qui baptizavit non errorem introducens, aut heresim; sed pro sola ignorantia Romane locutionis infringendo linguam, ut supra facti sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizentur. Nempe quod ratum illud, validumque Baptisma censetur. Porro eo in casu, non alia ratione ratum, validumque judicatum est Sacramentum, quam quia recta fuit interna, secretaque ignari Ministri intentio, verba illa tanquam veram, germanamque Baptismi formam bono animo profertis; quæ tamen vera, germanaque forma non est, Ecclesiæque intentionem minus exprimit.

Ad quæ tamen reponere juvat, momentum hoc, si quid evinceret, plus probaturum, quam revera probandum esset: nempe ratum esse, validumque Baptisma, vi solius intentionis interioris Ministri, absque debita forma in Evangelio præscripta: quod nemo non videt esse falsissimum. Dicendum ergo, hoc etiam in casu, de quo rogatus est Zachariæ R. Pont. externam quoque ignari, barbarique Sacerdotis intentionem accepisse: quia serio, omniique semoto joco ea verba tingendo pronunciaverat: quæ tamen per sese, ac virtute impositionis, seu ex Grammaticæ lege nihil significant, Ecclesiæque intentionem nequaquam exprimant; exprimum tamen atque significant ex accommodatione, bonoque animo profertis. Quare tamen mutatus sit Evangelicæ propositionis sensibilis sonus, mansit tamen idem sensus.

At inquit, quid in causa est, cur verba ita corrupte prolata foris, Ecclesiæ tamen intentionem expriment, ratumque faciant Sacramentum; nisi bonus animus profertis, seu secretior ignari Ministri intentio, qua corruptis vocabulis illis *Patriæ, & Filii, & Spiritus Sancti*, significari vult Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum? Igitur secretior mentis intentio illa ipsa est, quæ ratum efficit Sacramentum.

Verum hallucinaris tu longe maxime, qui bonum illum profertis animum, bonamque illam ignari Ministri intentionem, internam omnino putas esse, occultam, secretam, mentemque abditam, quam contra & nota ignari Ministri insensitia, & simplex minimeque dolosa Sacramenti administratione faciunt manifestam. Nemo quippe est, qui ita eum velle, ita sentire, ita intendere; ex ipsa conditione persone, non statim intelligat. Uti plane dum Sacerdos balbus, qui litteram li quidam Rex lingue impedimento pronunciare non potest, his verbis consecrat Eucharistiam, *hoc est Corpus meum*; nemo qui eum balbum novit, non statim intelligit; id eum animo velle atque intendere, quod alii quibus bene pendula lingua est, dum ajunt, *hoc est Corpus meum*.

IV. Sunt qui opponant, nonnulla saltem esse Sacramenta, quæ ex ipsa sui ratione postulare videntur in Ministro intentionem, non modo ritus externi serio peragendi, verum etiam internam, mentalemque intentionem. Primo, quia nonnullorum Sacramentorum formæ deprecatorie sunt; ut Extremæ Unctionis; ad validam autem precationem satis non est, si eam exterius serio, ac libere pronunciemus, nisi interna quoque accedat intentio: *Orandum est enim Spiritum, orandum est mente*, ut loquitur Apostolus *1. Cor. cap. 14.* Secundo, quia Sacramentum Eucharistiæ in Christi memoriam peragendum est: *Hoc facite in meam commemorationem*, inquit Christus *Luce 22.*: Christi vero memoria esse non potest, nisi ultra intentionem peragendi ritum illum externum, secreta quoque accedat intentio mortis sacrificium offerendi.

Verum & hæc duo minus urgent. Non pri-

mum de Sacramento Extremæ Unctionis, quia tamen valida precatio esse non potest, nisi interna intentione, seu potius attentione fiat; dum nuda, simplexque precatio est, atque ad beneficium aliquod simpliciter obtinendum bene tamen ubi sacramentalis atque deprecatoria precatio est, atque publica, ad conficiendum Sacramentum: Ad hanc enim, ut loquitur Doctor Angelicus *3. part. Quest. 64. Art. 8.* sufficit expressio intentionis Ecclesiæ, quæ verbis sacramentalibus serio prolatis continetur. Neque satis advertunt, qui hanc nobis argutiam obijciunt, eodem plane sophismate catholicæ fidei dogma impetiri posse. Quo etenim jure valida precatio esse non potest, nisi interior accedat attentio; ita quoque nisi fides accedat: ergone Ecclesiæ reclamante, fidem in Ministro necessariam efficiemus, ut fiet validum Extremæ Unctionis Sacramentum? Absit.

Nec secundum de Eucharistiâ plus movet. Falsum quippe est, mortis Christi memoriam esse non posse, nisi ultra intentionem serio peragendi ritum externum sacrificii, secreta quoque accedat intentio mortis sacrificium offerendi. Satis enim Christi mortis commemorationem facit, qui quod a Christo in illius memoriam institutum est, serio, & libere facit: tamen ad piam, religiosam, fructuosamque Sacrificii celebrationem, alia longe multa desiderantur. Quid quod hæc ipsa Eucharistiæ consecratio, Christi mortis commemoratio est, imo mystica mors atque mactatio?

V. Hinc solum habes argutiam alteram, quæ non ita pridem laudatus antea Vir eruditus, mihi summe colendus, in publica disputatione religiosum systematis nostri Defensorem urgebat. Ut quis, ajeat ille, virtutis actum exerceat, satis profecto non est, si opus illud externum impleat, nisi simul virtutis finem intendat, ac etiam accingat: E. G. ut quis charitatis actum in pauperem exercere censetur, satis non est si suas in finem ejus profundat opes, nisi sublevandæ illius inopie animo faciat, ac etiam propter Deum: imo si alio fine fecerit, peccabit haud dubie. Itaque, colligebat ille, ut quis sacramentalem actum exerceat, sacramque obeat ministerium, satis non est, si ritum externum perficiat etiam serio, libereque, nisi finem quoque sacramentalis actus intendat ac etiam assequatur: atque ita nisi velit & characterem imprimere, & gratiam infundere, & peccatum delere, aliove in suscipientibus effectus edere, ad quos producendos nunquam quod a Christo Domino institutum est Sacramentum.

Ex antedictis, inquam, solum habes argutiam illam. Aliud quippe est sacramentalis actus, (E. G. baptismalis ablutio, Eucharistiæ consecratio, Christum inuocatio, manuum impositio) uti virtutis, religionis nimirum & pietatis est actus; aliud sacramentalis actus, ut nuda, atque simpliciter sacramentalis est, seu perfectivus Sacramenti. Equidem ut Minister, quicumque ille sit, seu baptizans, seu consecrans, seu manus imponens, virtutis actum suo illo ministerio exerceat, pietatis nimirum, & religionis, finem illorum actuum debet intendere; nec satis illi est, si ritum illum, seu officium, opusque illud externum exerceat: quia virtutes non ab officiis, sed a finibus specieim trahunt: verum ut actum pure, simpliciterque uti sacramentalem exerceat, perfectivum scilicet Sacramenti; necesse profecto non est, ut ex recto fine agat, seu finem, ob quem instituta sunt Sacramenta, sibi præstituat, Deumque finem omnium ultimum præ oculis habeat. Quia sacramentalis actio, ut pure sacramentalis est, non a fine agentis, seu ministrantis speciem habet: uti monet Doctor Angelicus